'languido capiti medicatus es. Nunc autem ventum est ad insanabile vulnus, cui nulla medela succurrere vales. Formosus quando accessit, ut papa efficeretur, manus impositionem ita sibi tribui praecepit, ac si episcopus non esset, ac per hoc non solum apostolicam dignitatem non adquisivit, verum etiam id, quod episcopus erat, perdidit. Def. Hoccine est insanabile vulnus, cui nulla medela subvenire potest? Nunc cuius oculus iuxta evangelicam sententiam simplex est, in eius manus impositione non vulnus, sed dignitatis augmentum conspicitur; non detrimentum, sed sacri ordinis incrementum. Ut enim hoc liquidius pateat, audi documentum. Nam quod presbiter ipsum sit, quod est episcopus, testis est beatus Hieronimus in epistola ad evangelium dicens: Audio quendam* in tantam erupisse vecordiam, ut diaconos presbiteris, id est episcopis, anteferrent. Nam cum apostolus perspicue doceat, eosdem esse presbiteros, quos episcopos, quid patitur mensarum ac viduarum minister, ut super eos se tumidam*) efferat, ad quorum preces Christi corpus sanguisque conficitur. Audi testimonium aliud: Paulus et Timotheus, servi Christi Iesu, omnibus sanctis, qui sunt Philippis, cum episcopis et diaconibus. et in actibus apostolorum ad unius ecclesiae sacerdotes ita Paulus loquitur: Attendite vobis et cuncto gregi, in quo vos spiritus sanctus posuit episcopos, regere ecclesiam Dei, quam adquisivit sanguine suo. Ac ne quis contentiose in una ecclesia plures episcopos fuisse contendat, audi et aliud testimonium, in quo manifestissime est comprobatum, eundem esse episcopum atque presbiterum: Propter hoc reliqui te Crete ut ea, quae deerant, corrigeres et constitueres per civitates presbiteros, sicut et ego tibi mandavi, si quis est unius uxoris vir, sine crimine, filios habens fideles non*) in accusatione luxuriae aut non subditos. Oportet enim episcopum sine crimine

f. 132.

~~quendam cod.~~

anteferrent 1.

*) tumidus 3

*) deest 1.